

mus ad quærendum Christum et ad omne opus bonum. Imprimis vero parentes liberos suos ut hoc sacro die surgant ad matutinum, confiteantur et communicent, etc. Dicat unusquisque ad proximum suum: *Transeamus usque Bethlehem*, seponamus ludos et ineptias mundi curas et negotia, et serviamus in posterum Deo in sanctitate et justitia. Dicat quisque ad inimicum suum: *Eia frater quid litigamus? Transeamus usque Bethlehem*, accedamus ad eandem Christi mensam, et eodem communicemus pane. Dicat peccator ad suos complices: *Transeamus usque Bethlehem*: si pariter peccavimus, pariter peniteamus. Nemo itaque dubitare potest fuisse hoc pastorem munus Christo infanti gratissimum, quid enim præstantius esse potest, fide, spe et charitate? Ne fide testatur S. Augustinus, in lib. de ovibus: *Ille apud Deum plus habet loci, qui plus attulit non argenti, sed fidei*. Similiter et spes; ut enim displicet patri filius, qui eo posthabito, mendicatum abit. Ita eidem placet, qui se totum in ejus curam resignat. Charitate quid præclarior esse potest, quæ hominem cum Deo unit? Itaque si hoc die tria ista munera, si hanc oviculam Christo afferemus, sat muneris feremus et longe plus recipiemus.

## CONCIO VII.

CUR TAM HUMILIA SYMBOLA, INFANTIAM, PANNOS, PRÆSEPE, ELEGERIT SIBI CHRISTUS.

I. Ob solvendum debitum. — II. Ob extirpandum peccatum. — III. Ob docendum mundum. — IV. Ob redimendum hominem. — V. Ob plantandam perfectionem. — VI. Ob reconciliandum mundum.

## THEMA.

*Hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum et positum in præsepio.* Luc. II.

Merito quis miretur, cur tam vilia symbola, vel signa adventus sui elegerit sibi mundi Salvator, qui ad tam grandia peragenda venerat. Solent enim magnates quanto potentiores sunt, tanto majori pompa instituere introitus suos in aliquod regnum vel civitatem. Præmittunt famulos, præfectos, equos, currus, tibicines, ipsi stipantur satellitibus, exploduntur tormenta, etc. At nihil horum præ se fert Dei Filius mundum hunc ingrediens; tametsi eum debellaturus, et in potestatem suam redacturus venerat. Nullus exercitus, nulla vexilla, nulla arma, nulla tormenta, nulli equi cataphracti, nulli currus aut lecticæ, nullus vestium ornatus, etc. sed infans tantum panniculis involutus, positus in præsepio: *Et*

*hoc vobis signum*, ait angelus, *invenietis infantem pannis involutum, positum in præsepio*. Sed, hæcine sunt symbola ducis, Filii Dei, Salvatoris? Annon hæc tam vilia majestatem divinam dedecet? Magna esse debent, quæ magnatibus conveniant: hæc autem abjecta sunt, parva sunt et talia, quæ mundus abominatur. Et quid mirum si Judæi non agnoverunt Christum, quem magnum expectabant, magnis ingressurum symbolis? Sed sciendum est, aliud esse judicium Dei, et aliud mundi judicium: *Quod altum est hominibus*, inquit Dominus, Luc. XVII. *abominatio est coram Deo*. Coram Deo magna sunt, sola anima bona, quæ sunt spiritualia, et coram Deo magnus est, qui iisdem præditus est et abundat. Sic de Joanne Baptista dicit angelus. *Erit enim magnus coram Domino*, Luc. I. non sane potentia vel opibus, quia incedebat nudis pedibus, vestitus pilis camelorum, sine domo, sine lecto, sine famulis, victitans e cibis, qui bestiis communes erant, sed sanctitate et virtutibus. Nequaquam igitur vilia aut parva sunt Christi symbola, sed magna et præclara, quia maximæ sanctitatis et virtutum indicia, quæ qui vult cognoscere, exuere calceos debet, hoc est mundi opiniones; et videbit quod jam dixi.

I. Conveniunt hæc symbola Christo, quia venit Christus in mundum, ut peccatum Adæ solveret, quod ille commisit, solvere tamen non potuit. Appetit vero Adam fieri Deo similis et sciens bonum et malum, id est, omniscius per esum pomi: ideo meruit fieri dissimillimus. Ergo Christus infans factus est, quasi nihilo omnino, et ne loqui quidem sciens, ut sic aptissime notificaretur illa Dei ironia: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*, id est, factus est infans et ignorans, quia omnia scire voluit. Et huc, ni fallor, tendunt illa verba Isai. VII. Emmanueli, Christo nato dicta: *Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum*, q. d. scientiam boni et mali quæsitit homo per esum ligni vetiti: sed non est hæc ratio scientiam hanc acquirendi. Infans fieri debet et infantibus usitatos cibos (ut solebant esse in Judæa, butyrum et mel, teste Em. Sa. ibid.) degustare debet, antequam sciat reprobare malum et eligere bonum, quod prius inordinate appetit. Debuit igitur ac voluit deprimi Christus ad infantilis ignorantie speciem, quia Adam divinæ scientiæ similitudinem appetierat.

Deinde, Adam innocentiam et justitiam originalem perdidit, ideoque tunica pellicea vestitus est tamquam nota et stigmatum peccati; (quia ante peccatum vestibus non eguisset, nec erubisset ob suam nuditatem) itaque eandem peccati

notam et funestam tunicam ei induere debuit Christus, ut ea velut peccator et reus Adami peccatum lueret. Solet in quibusdam locis reis supplicio afficiendis, quando ducuntur, funesta quadam certæ formæ tunica indui, quam ut inflammem jure meritoque omnes aversantur, nec facile quis reperiretur, qui eam pro altero licet amicissimo indueret. Ejusmodi fuit illa tunica, quam induit Adæ Dominus, et exinde omne nostrum vestimentum stigma est peccati. Sed quoniam ipse per hunc amictum satisfacere non poterat pro peccato, ideo eum induere Christus ipse debuit, qui solus satisfacere potuit. Unde apostolus ad Philip. II. *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens et habitu inventus ut homo*. Denique, Adam per peccatum suum subjecit se sensualitati et corporalibus passionibus suis, quibus imperare debuerat, juxta id Ps. LXVIII. *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis*. Et hinc etiam imperium, quod prius habuit in bestiis, perdidit et ab illarum plurimis impeti, fugari et occidi cœpit in pœnam inobedientiæ suæ. Christus itaque pœnam hanc luiturus, in bestiarum locum missus, adeoque in præsepio bestiis subjectus et quodammodo substratus est.

Induit itaque Dominus parentis nostri personam in ipsa infantia, et maledictionem ejus in se sustulit. Videte, quid nos illi pro hoc amore debeamus.

II. Venit Christus, ut peccata extirparet, juxta id. I. Joan. III. *In hoc apparuit Filius Dei in mundo, ut dissolveret opera diaboli*, id est, peccata. Sunt autem tres radices omnium peccatorum, quæ in mundo committuntur, nimirum tres illi mali amores, quos in canonica sua epistola enumerat Joannes I. Joan. II. cum ait: *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum et superbia vitæ*. Concupiscentia carnis est amor voluptatum, concupiscentia oculorum est amor divitiarum, superbia vitæ est ambitio. Finxerunt ethnici poætæ præ foribus inferni excubare Cerberum tricipitem perpetuo famelicum. Simillimus huic cani est appetitus sensitivus, qui in corde nostro semper excubat et esurit triplici appetitu, delectationes carnis, opes, honores. Reliquum igitur erat ut Christus, qui peccata exterminaturus venerat, securem ad has eorum radices excindendas poneret. Hoc autem fecit, tres illis contrarias virtutes induendo et mundo inferendo atque implantando prævio suo exemplo. Nam dum Dei sapientia infans facta est, humilitatem induit nunquam antea auditam; et ita superbiæ radicem excidit: dum pannis involutus est, paupertatem induit, quia maxima

ejus divitiarum panniculi isti erant; et sic avaritiæ radicem extirpavit: dum in præsepio positus aspero scilicet lecto et tempore hiemali, vitæ asperitatem seu carnis mortificationem induit; atque ita ejusdem carnis delectationem seu voluptatum radicem exterminavit. Quod si igitur Christus efficaciter tollere eas radices et philosophiam hanc persuadere mundo voluit, debuit his virtutibus ipsemet indutus et instructus venire, parum alioquin effecturus, nisi ipse nos præcederet; postquam vero Dei Filius ipsemet his virtutibus præcessit, cæteros homines ad earumdem amorem et imitationem pertraxit. Quis enim non libenter et expedite faciat, quod viderit facere regem suum? Noluit Urias descendere in domum suam et dormire in lecto suo, etiam jussus a suo rege: propterea quod sciret dominum et ducem suum Joab dormire in castris super terram, II. Reg. XI. Quis ergo nunc honores ambiat, opes amet, voluptates quærat, si serio perpendat, Dei Filium infantem factum, pannis involutum et positum in præsepio? Licet autem multi sunt etiam qui Christi exemplo non moveantur, vident tamen manifeste, se a Christo convinci de errore, et ambulare non sicut debent, sed sicut volunt. Ex alia parte in plurimorum cordibus excisa sunt peccata per id exemplum Christi, et mundus pene totus abiit post eum. Et hoc prædixit Joannes Baptista, cum ait: *Jam securis ad radicem arborum posita est*, Matth. III. Christus nimirum, qui suo exemplo vitia mundi excidit, et virtutes illi inseruit.

III. Venit Christus, ut doceret mundum, rationem et modum perveniendi ad veram felicitatem, quam ille prius graviter aberrans, quærebat mediantibus rebus creatis, divitiis, honoribus et fluxis voluptatibus, quæ tantum abest, ut ad veram felicitatem ducant, ut potius quam longissime abducant. Nam beatitudo seu felicitas hominis in hac vita consistit in operatione intellectus præstantissima, quæ est contemplatio Dei ejusque magnitudinis ac mirabilium. In hac reperitur suavitas, par et satietas tanto præstantior mundi pace et suavitate, quanto suavior, ditior et amabilior est Deus omnibus creaturis. Unde Sapiens, Sap. VII. postquam eam degustasset, præposuit eam regnis et sedibus; divitias, lapides pretiosos, aurum et argentum nihil esse duxit in comparatione illius. Hanc autem suavitatem non percipiunt omnes, sed ii tantum qui palatum animæ habent ab omnibus rebus terrenis purum et liberum. Unde enim infirmus qui gustum habet corruptum et infectum malis humoribus, non recte judicat de saporibus; ita ut non raro dulce judicet amarum et amarum dulce: ita

is qui gustum animæ suæ malis peccatorum et affectuum sensualium humoribus (honorum, opum, voluptatum) habet corruptum, rerum spiritualium saporem degustare nequit. Deus enim, ut inquit S. August. *est sapientia aut sapor animæ purgatæ*. Quod adeo verum est, ut philosophi etiam ethnici, quo naturali tantum philosophiæ, quæ vix umbra sapientiæ divinæ est, suavius vacare possent, ejusque dulcedine perfrui, divitias merserint, honores fugerint, et voluptates aspernati sint, veluti Crates, Diogenes, Democritus et alii, quorum prior non parum auri et argenti in mare adjecit; alter opum, honorum ac divitiarum contemptor in dolio paucissimis contentus vixit; postremus agros suos reliquit, et pascea publica fieri passus est. Quod si isti, qui in contemplatione creaturarum tantum versabantur, impediri se intelligebant ab illis cupiditatibus, quominus contemplationi suæ vacare possent, quanto magis hæc impedient a contemplatione summi boni a terrenis rebus remotissimi? Itaque Christus sua humilitate, paupertate et vitæ asperitate, vel in ipsis cunabulis occidere voluit tres illos amores malos, a quibus expediti facile evolarem in altum et frueremur divinæ contemplationis dulcedine. Exinde secuti sunt illum innumeri, qui relicto sæculo ejusque pompa in monasteria se recluserunt, eremos incoluerunt; ubi tantam oblectationem et voluptatem in hac cœlesti sapientia invenerunt, ut læti atque hilares sustinuerint omnes molestias ac tribulationes, quas solitudo et extrema illa paupertas secum adferebant. Qui enim alioquin tot annorum ardores et frigora, domicilium tam vile, hospitium tam incommodum, tenuem mensam, septimanarumque integrarum jejunia in deserto sustinere potuissent, si non mirabiliter recreati et suavissimo illo contemplationis possessionisque Dei refecti fuissent? Quemadmodum enim sol unus mundum plus illuminat, quam omnes aliæ stellæ simul, etsi pene sunt innumeræ: ita solus Deus magis potest exhilarare et beatam facere animam, quam omnium simul honorum, quæ in mundo sunt, possessio.

IV. Venit ut munus Salvatoris exerceret et nos redimeret sanguine suo, juxta id Luc. XIX. *Venit Filius hominis quærere et salvum facere, quod perierat*. Hoc autem munus ab ipsa sua infantia inchoare voluit, et merito quidem, ut ita Patris sui voluntatem ab ipsa sua infantia implere studeret, tamquam filius promptissimus et obedientissimus; si enim præcursor ejus Joannes, quia a Deo electus erat, ut esset vox et præco Christi, hoc munus in utero matris adhuc reclusus voluit inchoare, dum ad præsentiam Christi exultavit

et utrumque parentem prophetico spiritu accendit: quanto magis decuit Christum inchoare munus salvatoris ab ipsis incunabulis? Hinc in ejus persona David vaticinatus est, Psal. LXXXVII. *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea*, (Hebr. a pueritia mea) poterat dicere etiam: Ab infantia. De Georgio Castrioto, cognomine Scanderberg, principe Epiri scribit Barletius, de vita ejus et rebus gestis, l. I. c. LXXXII. infanti formam ensis in dextro brachio ita expressam fuisse ut manufacta videtur. Quæ res indicavit, eum militari gloria aliquando fore illustrissimum. Miles enim factus nunquam detrectavit pugnam, nunquam hosti terga vertit, nullo in discrimine trepidavit, nunquam vulneratus est, nisi levi semet sagitta in crure, supra duo hominum millia barbarorum præsertim, diversis in præliis sua manu singulis tantum ictibus prægravi et ponderoso acinace suo interfecit. Simili modo Christus in ipsa sua infantia specimen exhibere voluit victoriosi illius certaminis, quod adultus aliquando subjugaturus et spoliaturus erat dæmones, ut sic initio statim mundus cerneret qualis puer hic futurus esset. Nam in stabulo jacet infans quasi fari nesciat, cum tamen æterna Dei sit sapientia: sic passionis tempore, quasi stultus et loqui nescius ab Herode est derisus. Nascitur nudus in maxima paupertate, quia non erat ei locus in diversorio: sic nudus quoque in crucem actus est, nec habuit ubi caput reclinaret, et mortuus, alieno sepulcro illatus est. In lucem editus, fasciis a matre vincitur et colligatur, et sic postea in passione funibus constrictus, raptus est ad mortem. Infans in præsepio reclinatur inter bovem et asinum, loco horrido et fœtido; sic in monte Calvariæ horrido etiam ac fœtido dejectus est in crucem, et in ea velut lecto angusto et immitissimo positus inter duos latrones. Vaguit in præsepio more omnium infantium; sic etiam in cruce *cum clamore valido et lacrymis* preces obtulit, teste apostolo, ad Hebr. V. Videmus igitur, quid hæc Christi nascentis symbola sibi velint?

V. Venit Christus, ut plantaret in mundo vitam cœlestem, quæ est evangelicæ vitæ perfectio non ut omnes eam sectarentur, sed aliqui saltem et ii qui aspirant ad perfectionem, nec contenti sunt observatione mandatorum divinatorum, sed in hoc etiam incumbunt, ut consilia sequantur evangelica, juxta id Joan. X. *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant*. Quia igitur decuit ut ejusmodi status esset in Ecclesia, quis nisi cœlestis magister ejus institutor esse debuit? Sunt autem tres prædicti amores inordinati quasi tres catenæ, quæ spiritum alioqui ex sua natura ad

## CONCIO VIII.

VARIIS OSTENTIS NUNTIATA ORBI NATIVITAS CHRISTI.

I. Apud Romanorum imperatorem. — II. In orbe. — III. Romæ. — IV. Apud Hispanos. — V. Apud Ægyptios. — VI. Apud Syros. — VII. Apud magos. — VIII. Apud Judæos.

## THEMA.

*Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis.* Luc. II.

Verba hæc evangelii dicta sunt de Augusto, multo tamen verius dicuntur de Christo. Quis ille Augustus, qui describere audet universum orbem et ad profitendum sibi compellere, cum nec Augustus ille, nec ullus alius universo dominaretur orbi? Solus Christus est totius orbis Dominus, qui mundum hunc ingrediens, jure optimo edictum in omnes terræ partes mittit, atque ut ei subjectio et professio præstaretur, ab omnibus exigit. Augusto omnes habitatae terræ nec cognitæ erant nec subjectæ. Christus solus est, cui dictum est, Ps. II. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam et possessionem tuam terminos terræ*. Ipse major Cæsare, major et Augusto est. Si enim, teste Plinio, lib. VII. Scipio Africanus, ideo Cæsar dictus, Cæsarumque parens erat, quia cæso matris utero natus; multo major Cæsare Christus, qui clauso et inviolato. Si Octavianus imperator et posteri ideo Augusti, quia ut vult Hegesippus, lib. V. Romanorum auxere imperium, multo verius Christus, qui collapsum prorsus, totum restauravit, totum sibi subjugavit. Quod si igitur Octavianus edicto jubet, ut omnes datis sibi nominibus subjectionem jurent: cur non magis Christus suum in orbem adventum et in universa dominium, orbi universo palam faciat? Cur ipse non jubeat, ut omnes coram se profiteantur et didrachma obedientiæ solvant et honoris? Prædixit per Aggæum, c. II. Dominus: *Adhuc unum modicum est, inquit, et ego commovebo cælum et terram, et mare et aridam, et movebo omnes gentes: et veniet desideratus cunctis gentibus*. Commotio illa creaturarum, adventum Christi passim nuntiantium, prodigia sunt sub Christi natalem vel non multo ante manifestata: nec aliud nisi imperialia edicta ad præstandam novo regi debitam obedientiam et honorem.

I. Ad Romanum destinatur imperatorem Octavianum Augustum. Imprimis Nicephorus, lib. I. c. VII. scribit, Augustum cum a Pythio Apolline peteret, quisnam post eum Romanum regeret imperium, nullum tulisse responsum. Cumque silentii causam rogasset, accepit:

spiritualia et solida bona tendentem detrahunt ad res terrenas et fluxas, ut cum rebus his extraneis et vilibus sibi non conformibus velut nobilis cum vili ancilla matrimonium contrahat. Tres igitur virtutes illæ, quas in cuius docet Christus, catenas illas abrumpunt: humilitas abrumpit superbiam, paupertas cupiditatem, vitæ asperitas voluptatem. Porro difficillimum erat hominem abrumpere amores illos, quia per lapsum hominis caro effrænis et rebellis facta, et spiritus debilitatus ac languidus effectus est, nec sine magna vi et continuo certamine restitui pristino suo imperio poterat; quare egregio et plusquam humano duce egebant homines, qui in hoc prælio præiret, et artem præliandi doceret. Ea vero consistit in frænatione et occisione appetituum illorum, per contrarias illis virtutes, quas diximus, et docuit nos ab incunabilis suis Christus.

Denique, ut mundum reconciliaret sibi, et amoris vinculo devinciret ac confederaret, ad hoc autem necessarium erat non solum ut mundo se visibilem ostenderet, sed etiam ut de pristino suo rigore aliquid remitteret. Querebatur autem mundus ante hac de Deo, quod terribilem nimis haberet vocem. Unde Adam: *Vocem iniquit, tuam audivi et abscondi me*, Genes. III. et Hebræi non poterant audire vocem Dei promulgantis legem cum tonitribus et fulguribus; ideoque dicebant: *Non loquatur nobis Deus, ne forte moriamur*, Exod. XX. Ideo Deus factus est infans, hoc est, fari nesciens et plorare tantum sciens, ut sic nemo non audeat deferre ad illum querelas suas. Infans etiam cum plorat et irascitur, facile sedari potest; sic modo Deus per pœnitentiam, etc. Deinde, querebatur, quod graves haberet manus, ad feriendum et puniendum severas. Unde Job, cap. XXXI. ait: *Manum tuam longe fac a me*. Ideo venit Christus modo ligatus et involutus, quasi manibus suis nequeat ferire nec velit. Denique querebatur, quod terrifico sederet throno, ut Isai. VI. et Ezechiel I. ad quem nemo facile accedere auderet, ideo nunc reclinari voluit in præsepio, ad quod nemo timeret accedere.

Superest ut nos hæc symbola amemus, æque etiam nobis communia faciamus, velut filii qui parentum insignibus utuntur et gloriantur, etc.

Me puer Hebraeus dives Deus ipse gubernans,  
Cedere sede jubet, tristemque redire sub orcum:  
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

Rediens ergo Romam imperator, aram maximam in Capitolio erexit cum hac epigraphe: *Ara primogeniti Dei*. Et hæc ipsa putatur, ut ait Baron. initio annal. esse locus ille, ubi nunc templum Ara cæli dictum, in Capitolio situm est. Eidem etiam imperatori, cum eum senatus Romanus tamquam Deum colere decrevisset, imaginem Virginis puerum in ulnis gestantis, aureo circulo juxta solem inclusam apparuisse, et eam esse Aram cæli refert ibid. Baronius, eoque audito, Octavianum vetuisse ne in posterum Dominus appellaretur, quandoquidem puerum illum orbis Dominum fore intellexerat, Antoninus, 1. par. hist. tit. IV. c. § X. Deinceps vero Domini appellationem velut opprobrium horruisse, ac ne a liberis quidem et nepotibus vel serio vel joco, id appellationis passum esse. Item cum in theatro populus ei acclamaret: *O Dominum æquum et bonum!* statim et vultu manumque clamorem repressisse, narrat Vegas in Apoc. c. VI. comment. III. sect. 1. cujus exemplum secutus ejus successor Tiberius imperator qui et ipse Domini appellationem respuit, templa sibi erigi aut statuas poni, teste Baronio, anno Christi 17. vetuit. Unde igitur hæc omnia? Unde dæmonum silentium? Imperatorum demissio? Nisi quia edictum Christi audierunt? Duo maximi erant nobis oppressores dæmones et tyranni, illi per oracula homines decipiebant, isti per vim opprimebant. Hos igitur primo aggrediendos sibi Christus judicabat, ut prædictum ab Isaia, c. XI. *Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, et in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, mittet manum suam*. Dicitur vel potius fingitur Hercules infans geminos in cunis strangulasse dracones, ut refert Plinius, lib. XXXV. c. IX. fecit hoc Hercules noster Christus ipso suo exortu. Quosnam vero illos? Aspitem dæmonem, quem e falsis deorum oraculis extractum strangulavit. Aquilæ præsentia et voce intellecta non prædantur, nec facile audiuntur aves aliæ prædones, ut Plin. 1. X. c. III. ita dæmones olim animarum prædones, ad Christi præsentiam trepidare inceperunt. Latebant prius in deorum statuis velut vectes aut repagula intra januas, ita ut miseri homines ad oracula recurrentes, minime intelligerent, quis intra loqueretur, statuane, an quis alius. Igitur infans Christus, missus in foramen hujus aspidis tenerrima sua manu, vectem abstulit, dæmonibus larvam detraxit: unde Isaia XXVII. vocatur *dæmon serpentis vectis*; sed etiam in cavernam reguli misit manum suam. Ipse basiliscus est, diademate in-

signis, et tyrannos orbis significat, qui olim reguli instar solo suo sibilo, solo afflatu, imo et aspectu necabant alios serpentes, id est, subditos pro libitu opprimebant et enecabant; unde sub gravi eorum jugo clamabat ad Deum genus humanum, quasi illud Ps. CXLIII. *Emitte manum tuam de alto, eripe me et libera me de aquis multis, de manu filiorum alienorum*. Quinam isti filii alieni, nisi tyranni, qui se a diis vel genitos vel nihil differentes superba dominatione ostentabant? Interim tamen non viri aut reges, sed filii et reguli tantum erant; quia nec plenum nec universale fuit eorum dominium: *Solus Deus noster magnus et rex magnus super omnes deos*, Ps. XCIV. Misit igitur in cavernas, id est, regna horum regulatorum Deus manum suam; Christum, propter miseriam inopum et gemitum pauperum tunc exurrexit, eosque ab impiorum jugo ereptos, suo suavi subjugavit imperio. Facessant igitur aspides, facessant reguli, dæmonum præstigia et tyrannorum superbia. At quis non exandescat? Ad edictum Christi dæmones contremiscunt et mutescunt, tyranni metum et fastum ponunt, fatentur illi imposturas suas et silent, hi submissionem præstant: et modo inter Christianos hoc non fit. Curritur passim ad incantamenta, ad divinationes, ad præstigia, sortilegia: fastus et arrogantia adeo crevit, ut infimæ sortis homines domini appellatione gaudeant, nec facile alterum, nisi domini audiant, responso dignetur. Quid? Annon et nostri causa exiit Christi edictum? An ideo pulsati ex oraculis dæmones, ut Christiani subingrediantur et inde dæmonum personas sustineant? Ideone imperatores leonis exuvium ponere, et Dominum exuere moniti sunt, ut Christiani induant? *Erubescant elati*, ait Cassiod. in Ps. CXXXVII. *ubi credunt locum habere superbiam, cum cælum et terram videant ab humilitate occupatam*. Dicam ego non minus vere erubescant Christiani, ubi credunt locum habere superbiam: cum cælum, id est, Christus infans, cum terra, id est, monarchæ orbis ab humilitate occupantur. Erubescant etiam impii præstigiatores et deducantur in infernum, muta fiant labia dolosa, Ps. XXX. *Erubescant etiam qui exaudiunt vocem incantantium et venefici incantantis*. Præcepit ergo hoc edictum silentium dæmonibus, humilitatem regibus et potentibus.

II. Exiit in universum orbem, quando sub id temporis Sodomitæ omnes repente inflammati et in cinerem redacti sunt, ut narrat Petrus, de natalibus in catalogo ex Hieronymo, et Lucas Tudensis, in chron. Hisp. Id quod merito sane accidit cum enim Sodomia naturam humanam depravet et bestialem reddat, extingui debuit ab eo,

qui naturam rationalem sibi copulaturus et reparaturus venerat. Ut enim Deus olim noluit inire fœdus cum hominibus et spiritum eis suum relinquere, quod naturam libidine vitiassent, nisi tollerentur rei et purgaretur natura per diluvium, Gen. VI. et ita nec Christus naturam humanam assumere voluit, nisi deletis iis, qui tam turpiter eam fœdassent. « Hoc quippe vitio violatur ipsa societas, ait S. Aug. lib. III. confess. c. VIII. quæ cum Deo nobis esse debet, cum eadem natura, cujus ille auctor est, libidinis perversitate polluitur. » Sane Gen. XIX. ob peccatum Sodomiticum *pluit Dominus super Sodomam et Gomorrhham sulphur et ignem a Domino de cælo*. Quis est iste Dominus qui pluit de Domino? *Dei Filius*, ait S. Hil. lib. V. de Trinit. et alii, qui naturam humanam quæ Sodomitæ vitiaverant, ut eam perpurgaret ac pristino nitore restitueret, pluit de Deo Patre sulphur et ignem. Jam si hoc egit Dominus quando descendit de cælo, ut videret naturam ita corruptam, ut dicitur Genes. XIX. multo æquius idipsum fecit quando de cælo descendit, ut naturam humanam indueret. Sed instabit aliquis, Christus naturam humanam per peccatum destructam reparaturus venit, non extincturus, ut in aliis peccatis patet: cur non igitur Sodomitæ pepercit, usque dum ea per penitentiam deleretur? Vel si illam morte punivit, cur non et alia scelera? Respondeo disparem esse rationem. Sola enim Sodomia tale peccatum est, quod corrigi facile nequit, quæ adeo abominanda est, ut contra eam nemo facile invehi, nemo inquirere, ob scandalum aut periculum possit; unde peccatum Sodomiticum, obscuro nomine vocatur; atque ut Sodomam, mutam interpretatur, ita peccatum id mutum, ob se turpitudinem dici debuit. Unde S. Bern. (apud card. Hug. in c. II. ad Rom.) ait: *Flamma infernalis, moram non sustinens, execrabilem istam (Sodomiticam sc.) prævenit tollere rationem: alios enim peccatores expectat*. Inde est, quod nulli alteri committere voluerit Dominus sceleris illius cognitionem et ultionem; sed ipsemet descenderit, viderit et puniverit. Videant hic quid agant, qui in statu sunt matrimoniali, quo sint in periculo, si naturæ violentiam inferant et ignominiam bestialem inurant: nisi enim hujus sceleris reus id in seipso corrigat, non corrigetur facile, nisi ab igne infernali: præcepit ergo hoc edictum ne libidine præpostera vitiatur humana natura quæ jam Deo copulata.

III. Exiit ad Romanos: nam Romæ fontem olei, in taberna meritoria (ubi nunc S. Mariæ trans Tiberim ædes est) de repente exortum, in Tiberim vicinam fluxisse, Christi sive paulo post venturi prænuntium, ut volunt Euseb. in chron. et

Oros. lib. VI. c. XVIII. et XX. sive jam præsentis indicem, ut S. Bonavent. in lib. de festivit. Jesu, et alii fatentur complures. Significat hoc edictum, Christum esse fontem misericordiæ in terras emanantem, a tempore nativitatæ suæ: unde Cant. 1. dicitur: *Oleum effusum nomen tuum*. Oleum quidem Christi nomen est, quia ut oleum curandis imprimis vulneribus salutare, ita Jesus peccatorum salus. His enim est Samaritanus ille Luc. XV. sauciati vulneribus oleum infundens: hic est qui adulteram absoluturus de monte Oliveti, id est, misericordiæ descendit in templum, Joan. VIII. Effusum vero quia largiter est, quasi nullius esset pretii, omnibus communicetur. Unde Septuaginta vertunt: *Oleum evacuatam*. Distillabat in veteri lege Deus misericordiam suam, non effundebat, ut manna distillasse dicitur, Ps. LXVII. *Deus cum pertransiret in deserto, terra mota est, etenim cæli distillaverunt a facie Dei*, id est, manna, ut ibidem exponit Bellarm. card. Effundebat vero in nostra, unde mox sequitur: Pluviam voluntariam segregabis Deus hereditati tuæ, id est, largam et spontaneam gratiæ et misericordiæ pluviam. Præcæpit deinde pacem ab ipso terris illatam: nam olea, quæ ferrum et arma ad secandum inepta reddet, pacis symbolum est, teste Pierio, lib. XXXV. hierogl. unde et olivam manu prætere adventantibus amicitia et pacis typus veteribus erat. Merito autem signum hoc Romanis ostenditur, quia cum ipsi toti fere imperarent orbi, conveniebat, ut Christus eisdem præ aliis pacificum suum nuntiaret adventum, juxta id Isa. II. *Constabunt gladios suos in vomeres et lancea suas in falces: non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium*: id quod eventus docuit teste S. Hieron. in c. II. Isa. Tunc enim Romani, non jam ad prælia, sed agriculturam exercebantur. Atque hoc etiam est, quod edicto illo præcipitur: *Pax et tranquillitas inter homines*. Oleum in mare effusum, id tranquillum reddit, Pierio teste, lib. LIII. hierogl. nunc vero oleum illud salutare, Jesus in mundi hujus mare effusum est: cessent igitur contentiones, rixæ, æmulationes; confringant hic Christiani tumentes fluctus suos et acquiescant.

IV. Ad Hispanos. Etenim tunc (si D. Thomæ credimus, III. p. q. XXXVI. art.) vel aliquanto ante sub initium imperii Augusti (si Eusebii chronico, Plin. lib. II. c. XXVIII. Orosio et aliis fidem habemus) ad designandum tamen Christi adventum, tres in Hispania soles apparuerunt, qui paulatim in unum coibant orbem. Addit Lucas Tudensis, in hist. Hisp. eadem, qua Dominus nascebatur nocte, visam in Hispania nubem adeo lu-